

214 Hebdomada vigesima sexta per annum

Anno C

Lectio prima

Qui lascivitis et canitis, nunc migrabitis.

Léctio libri Amos prophétæ

6, 1 a. 4-7

Hæc dicit Dóminus omnípotens:

« Væ, qui opulénti estis in Sion et confíditis in monte Samaríæ;

qui dormítis in lectis ebúrneis et lascivítis in stratis vestris, qui coméditis agnum de grege et vítulos de médio arménti, qui cánitis ad vocem psaltérii: sicut David putavérunt se habére vasa cántici, bibéntes vinum in phíalis et óptimo unguénto delibúti, et nihil patiebántur super contritióne Ioseph.

Quaprópter nunc migrábunt in cápite transmigrántium, et auferétur fáctio lasciviéntium ».

Verbum Dómini.

Psalmus responsorius

Ps 145, 7. 8-9 a. 9 bc-10 (R.: 2 a)

R. Lauda, ánima mea, Dóminum.
vel Allelúia.

Qui custódit veritátem in sæculum, facit iudícium oppréssis, dat escam esuriéntibus. Dóminus solvit compedítos. **R**.

Dóminus illúminat cæcos, Dóminus érigit depréssos, Dóminus díligit iustos,

⁸ Dóminus custódit ádvenas. **R**.